

bito iuramento *etc.* Interrogavimus de quantitate predictorum fructuum, expensarum *etc.* adhibito consilio peritorum *etc.* Quia nobis plene et legitime constitit per Inquisitionem et repositionem predictam. factam computatione de fructibus perceptis per eundem Episcopum de possessionibus Ecclesie santi Iacobi supradicti, Et expensis factis per predictum Episcopum in reparatione ipsarum possessionum expendere legitime ultra fructus perceptos uncias auri Centum quinquaginta in recuperandis possessionibus antedictis. Ideo in presentia dompni Sabini Cantoris. dompni francisci sacriste. Abbatis petri de abranuntio Clericorum Maioris Botontine Ecclesie. Iudicis Bartholomei. Iudicis Luponis. et Notarii Iacobi. testium civium Botonti ad hoc specialiter vocatorum. Sententialiter inscriptum fratrem predictum Salomonem procuratorem predictorum Abbatis et Conventus nomine et pro parte ipsorum et eosdem Abbatem et Conventum ad Restitutionem predictarum Centum quinquaginta unciarum auri. predicto Notario Nicolao procuratori dicti Melfictensis Episcopi pro parte ipsius et eidem Episcopo condemnamus. Iniungentes eidem Notario Nicolao pro parte dicti Episcopi, et predicto Episcopo. ut priusquam eidem Episcopo de predictis Centum quinquaginta unciis auri per predictos Abbatem et Conventum fuerit Integraliter satisfactum. predictus episcopus predictam Ecclesiam Santi Iacobi cum iuribus et pertinentiis suis eisdem Abbati et Conventui, nec non predicto Monasterio sine cuiuslibet contradictionis obstaculo restituat et assignet. Qua sententia lata statim predictus procurator dicti Monasterii, et ipse Abbas petierunt terminum unius anni. et obtinuerunt ad satisfaciendum predicto Episcopo de pecunia supradicta. Actum hoc anno Millesimo ducentesimo octogesimo quinto. Mense Iulii die veneris sexto eiusdem, tercie decime Indictionis. Pontificatus domini Honorii pape quarti. Anno primo. In cuius rei testimonium *etc.* Duo consimilia scripta fieri fecimus. per manus